MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80081-20

AUTHOR: SCHULZ, HERMANN

TITLE: DE M. VALERII MESSALLE ....

PLACE: STETTIN

DATE: 1886

Master Negative #

91-80081-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schulz, Hermann,
...De M. Valerii Messallae aetate, scr. Hermannus Schulz... Stettin, Herrcke, 1886.
8 p. 30 cm.

At head of title: Königliches Marienstifts-gymnasium zu Stettin. Oster-programm...

Volume of Pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Königliches Marienstifts-Gymnasium zu Stettin.

Oster-Programm 1886.

Herausgegeben

von

Dr. Gustav Weicker,
Königl. Gymnasial-Direktor.

Inhalt:

STETTIN.
Druck von Herrcke & Lebeling.
1886.

1886. Progr.-Nr. 128.

De M. Valerii Messallae aetate.

Ovidius poeta sicut ad litterarum studia extremo Augusti principatu Romae exercitata ita ad vitas ipsorum hominum litteratorum cognoscendas plurimum valet epistulis in exsilio conscriptis. Atque virorum eorum vitas, ad quos poeta epistulas aliquas misit, quatenus quis expiscari adhuc potuerit, Graeberum, hominem eximiae doctrinae intentissimaeque curae ac diligentiae, reliquis auctoribus et monumentis circumspectis praestitisse puto [1]). Illorum autem omnium Fabio Maximo excepto nemo animum meum magis tenebat quam Messalinus et Cotta Maximus, filii Messallae Corvini. De quibus quae exposuit Graeberus, cum persequerer, etiam in vitam patris mihi inquirendum erat. Cuius viri nobilissimi de aetate nuper egregie disputavit Nipperdeius [2]). Sed cum postea O. Gruppius [3]) auctoritate veterum scriptorum specie et secum et contra Nipperdeium consentientium, quae ille consecutus erat, deturbasse sibi visus sit, nobis proposuimus hoc loco via a Nipperdeio munita rem retractare et, si fieri possit, augere.

Messallae de anno et natali et fatali alius aliam protulit sententiam. Vitam eius enim pertinere voluit Scaligerus[4]) et C. Fr. Hermannus[5]) ab a. 67 a. Chr. ad a. 5 p. Chr., Wiesius[6]) ab a. 74 a. Chr. ad a. 2 a. Chr., Henr. Meyerus[7]) ab a. 69 a. Chr. ad medium Augusti principatum, Nipperdeius[8]) ab a. 64 a. Chr. ad a. 9 p. Chr., O. Gruppius[9]) ab a. 59 a. Chr. ad a. 13 p. Chr., Arnoldus Schaeferus[10]) et Graeberus[11]) ab a. 65 a. Chr. ad a. 8 p. Chr.[12])

---

[1]) Duabus in diss. Quaest. Ovid. pars prior Elberfeld 1881 et Untersuchungen über Ovids Briefe aus der Verbannung. II. Teil, ibid. 1884.

[2]) Mus. Rhen. XIX p. 281 ss. Ex Nipperdeio Valeton, qui ultimus quantum scio vitam Messallae scripsit (Groning. 1874), fere omnia, quae de hac re dicit, ita sumpsit, ut, quae ille germana lingua exposuerat, in latinam verteret.

[3]) Quaest. Annaeanae. Sedini 1873 p. 33–35.

[4]) In notis ad Eusebium p. 180 coniciens: „Hieronymum properantem et aliud agentem tempus obitus Pollionis et Messallae commutasse".

[5]) De script. ill., quorum tempora Hier. ad Euseb. chron. adnotavit.

[6]) De Mess. Corvini vita et studiis doctrinae. Berol. 1829 p. 43 ss.

[7]) Orat. Roman. fragm. aux. et emend. Duebner, Parisiis 1837 fr. LXXXV (p. 326).

[8]) L. c. [9]) L. c.

[10]) In libro, quo breviter de font. hist. rom. exposuit II. p. 100.

[11]) Quaest. Ovid. Elberfeld. 1881 p. XVI.

[12]) Burghesium (Giornale Arcadico XVI), quem Nipperd. saepius laudat, inspicere mihi non licuit. — Neque ubique respexi Georg. Wartenbergium Quaest. Ovid. Berol. 1884, qui p. 4—13 de causa nostra sagaciter disputat, quia haec iam scripta erant, cum liber ille in manus venit. Libenter autem fateor me saepe cum eo congruere; de compluribus autem locis, in quibus discrepo et quos interea immutavi, res mihi cum eo erit.

Quorum virorum doctorum omnium sententias ut tentemus, fieri vix posse vides; id potius agendum erit, ut auctores, qui huc spectant, audiamus et examinemus.

Auctores autem nobis consulendi sunt omnino quattuor: Hieronymus, Tacitus, Frontinus, Ovidius. Atque Hieronymus[13]) ad a. Abr. 1958, qui annus est 59 a. Chr. adnotat: „Messala Corvinus orator nascitur et Titus Livius Patavinus scribtor historicus". Idem ad a. Abr. 2029, qui annus est 13 p. Chr.: „Messala Corvinus orator ante biennium quam moreretur ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret, et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno aetatis LXXII[14])."

Alter testis Tacitus in dial. de or. c. 17 haec habet: „nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit."

Tertius Frontinus de aquae duct. c. 99 narrat Messallae Tuberone et Fabio Maximo css. (a. 11 a. Chr.) curatori aquarum facto successisse Capitonem Planco et Silio css. (a. 13 p. Chr.)

Hic paulisper, antequam ad quartum accedamus, subsistendum est. Hieronymum quidem ex Suetonio, auctore perquam gravi ac fido, hausisse quis nesciat? Attamen cum fontis sui verba non presserit, sed ad usum suum submutaverit et inverterit, saepe erravit. Tacitum autem nostro loco depravatum esse luce clarius est. Nam cum imperium Augusti ab a. 43 a. Chr. usque ad a. 14 p. Chr. deducat[15]), Messallae, si circa medium eius principatum elatus esset, mors ad a. 14 a. Chr. nobis adliganda erat. Quod quominus statuamus, et aliis locis impedimur et Front. l. c. et Suet. vit. Aug. c. 58, ubi (a. 2 a. Chr.[16]) Messalla consensu senatus populique Romani Augustum patrem patriae appellat. Quare Taciti locus abiciendus est.

Restat Frontinus, homo, quippe qui actis publicis usus sit, fide dignissimus. Quam ob rem Gruppius reliquis testibus postpositis huic esse credendum censuit. Quod et ego non negaverim. Sed Frontinus quid ait? Messallam illo anno mortuum? Minime! illi successorem esse constitutum. En Gruppius me provocabit ad Hieronymum atque argumentabitur hunc certis verbis affirmare anno illo 13 Messallam esse defunctum: cui testimonio cum accedat locus ille Frontinianus, ex uno teste fieri duo; rem igitur esse firmam atque certam.

Cui opinioni, quamquam non pauca dubitationem movere infra videbimus, faverem, ni quartus auctor obluctaretur Ovidius[17]). Sed is de Messalla ex Pont. I, 7, quae epistula Messalino filio data est, hos facit versus 29—30:

> cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
> et dedimus medio scripta canenda foro.

Confiteturne his verbis poeta se funeri Messallae ipsum adfuisse? Opponi potest carmen illud, quod poeta spectat, Tomis Romam esse missum, ubi a populo caneretur. Sed merito Nipperdeius repugnat dicens verbis ‚in funere' poetam dilucide ostendere se adfuisse. Quam causam

---

13) Eusebi chron. can lib. ed. Alfr. Schoene p. 137.

14) Ibid. p. 147. Sic omnes cdd. Solus F. exhibet LXXVII, liber haud spernendus quidem, qui tamen auctoritatem imprimis ll. A et B infringere nequeat.

15) L. c.: „statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit."

16) Mommsen Mon. Anc. ed. alt. p. 154: „Pater patriae appellatus est Augustus a. u. c. 752 consul XIII cum M. Plautio Silvano die Febr. 5 . . . . Ab senatu populoque Romano hunc honorem ei habitum esse scribunt . . . . Suetonius (Aug. 58)" e. q. s.

17) Cf. Nipperd. et Wartenb. ll. cc.

etiam Gruppius comprobavit, sed eo confugit, ut versus illos contenderet interpolatos esse ab homine quodam, qui carmen a se in honorem Messallae confectum sub Ovidii nomine circumferri maluerit. Concedam versus illos posse eici neque sententiarum connexum dirimi; tamen in castra Gruppii non transierim.

Si enim a. 13 p. Chr. Messallam obiisse statuamus — nam quod Hieronymus scribit eum LXXII annos degisse, cur falsum sit, non perspicio — annus eius natalis est a. 59 a. Chr. n. (cf. Hier.). Contra hanc sententiam autem pugnant multa. Primum enim ex Cicerone[18]) discimus Messallam a. 45 more illorum temporum se contulisse Athenas, ubi litteris operam daret. Putabimusne eum puerum quattordecim annorum tunc fuisse? Nonne probabilius est eum aetate eadem fuisse, qua Horatius vel Ciceronis filius erant, qui iisdem temporibus ibi versabantur quique erant nati alter a. 65 alter a. 64. Porro Quintilianus eum in causa Aufidiana partem aliquam habuisse nos docet: quae causa, cui Ser. Sulpicius interfuerit, qui homo a. 43 morte abreptus est, ante hunc annum acta est; habuisset igitur Messalla annos sedecim. Sed haec fortasse levia videntur; maioris autem ponderis est, quod a. 43 Cicero scribit ad Brut. I, 15[19]). Verba ipsa apponam: „Messalam habes . . . . Cave enim existimes, Brute, ... probitate, constantia, cura, studio rei publicae quidquam illi esse simile; ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa, sapientia plus apparet; ita gravi iudicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur . . . . praesertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus quam mihi nota est, et haec ipsa studia, quae laudo, notiora". O illum hominem mirabilem et virtutibus plane divinis praeditum, qui puer sedecim annorum omnes cives non solum eloquentia sed etiam rerum publicarum cognitione superaverit! In castris autem Philippicis tanta eius erat auctoritas, ut si non primas, tamen secundas ageret[20]). Nam praeterquam quod gravissimis ducum consiliis intererat et ipse saepius consilii auctor exstitit[21]), Cassius, dux spectati ingenii, in eo summam fiduciam posuit; nam cum in eo esset, ut armis decertaretur, *„τῶν ταγμάτων τὸ μαχιμώτατον ἔχοντα Μεσσάλαν ἐκέλευσεν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ καταστῆναι*[22]). Cassio autem et Bruto mortuis exercitus summam imperii ei obtulit. Quae omnia quantopere ab omni probabilitatis specie abhorreant, si Messalla tum annos septendecim natus erat, neminem fugiet.

Accedit autem aliud. Erant enim Messallae duo filii, Messalinus et Cotta[23]), quos supra iam commemoravimus. De quorum virorum aetate elegantissime disputavit Graeberus l. c. Ovidius enim Cottam adlocutus de patre dicit ex Pont. II, 3, 79—80:

> nec, quo sit primum nobis a tempore cultus
> contendo, fratrem posse referre tuum.

---

18) Ad. Att. XII, 32.

19) Non ignoro omnes illas epistulas ab hominibus sanequam doctis, Zumptio, Orellio, Niebuhrio subditivas esse creditas. Tamen cum Nipperdeius et Teuffelius eas genuinas esse merito docuisse mihi videantur, non dubito illis fundamenti instar uti.

20) Vell. II, 71: „Messalla fulgentissimus iuvenis proximus in illis castris Bruti Cassique auctoritati".

21) Plut. Brut. *Ἐπεὶ δὲ Βροῦτος μὲν ἐσίγα . . . Μεσσάλας δὲ Κορβῖνος ἐδικαίου κ. τ. λ.*

22) Ibid. 40.

23) Hic ab avunculo in Cottarum familiam adoptatus est. Ov. ex Pont. III, 2, 107 ss.

Itaque si ob annos aetatis Messalinus, quando primum poeta cum fratre fuisset, non cognoverat, eum Ovidio aliquanto minorem fuisse apparet. Constat autem Messallam post cladem Philippicam Antonium secutum in Aegyptum huius viri rebus favisse, donec furorem eius in Cleopatram libidinosum aversatus et detestatus ad partes Octaviani transierit[24]). Atque cum Iosephus eum a. 40 Romae fuisse tradat, fortasse hoc ipso anno ad Augustum defecit. Iam Graeberus recte monet ei ante hoc tempus inde ab anno 44 perpetuis tumultibus agitato vix facultatem esse datam uxoris ducendae: inde apparere Messalinum non natum esse ante a. 39. Sed eum non ita multo post hoc tempus esse creatum e Tibullo elucet, qui eum inter XV viros sacris faciundis adlectum praedicat[26]). Cum autem Tibullus a. 19 obierit neque Messalinus ad honorem illum ante sumptam togam virilem ascendere potuerit[27]), etiamsi poeta carmen illud inter extrema condiderit, Messalinus non post a. 34 natus est. Certius autem quam his causis tempus significatur, quod Messalinus a. 3 a. Chr. consul fuit. „Itaque si Augusti leges annales anni 727/27 observatas esse in hoc putamus, ante annum 719/35 atque si recte habet, quod supra demonstravimus, post annum 715/39 natum hunc esse statuendum videtur.“ Graeberi sunt verba. Sed fortasse longius progredi licet. Mommsenus[28]) enim illis temporibus homines nobiles nisi triginta quattuor annos natos fere non consules esse factos affirmat. Cui mori si Messalinus quoque subiciebatur, post annum 37 non natus est. Iam vero vix credendum est Messallam et uxorem duxisse et filium genuisse natum viginti annos et unum[29]).

Quid? Messalla ipse consul factus est a. 31. Quid autem omni probabilitate magis caret quam Augustum, qui paullo post quemquam ante annum aetatis tricesimum alterum exactum consulatum gerere lege vetuit, hunc honorem in Messallam contulisse, cum vix annos duodetriginta compleverit[30])?

Denique non omittendum est, quod Suet. Tib. 70 narrat: „In oratione latina secutus est (sc. Tiberius) Corvinum Messallam, quem senem adulescens observaverat“. Vides Suetonium hoc vix dicere potuisse, si Tiberius, qui a. 42 natus est, septendecim annis Messalla minor fuerit.

Quae cum ita sint, quod Nipperdeius posuit, Messallam ante a. 59 a. Chr. natum esse, constare intellegitur.

Sequitur, ut eum ante a. 13 p. Chr. esse mortuum ostendamus. Ad quam disceptationem solvendam omnia confert Ovidius poeta. Hunc examinans teste Nipperdeio iam Burghesius contendit Messallam defunctum, antequam ille exulatum ierit. Atque unum poetae

---

24) App. IV, 38: *„Οἰκειότερος δὲ ὢν Ἀντωνίῳ συνῆν, μέχρι, κρατούσης Ἀντωνίου Κλεοπάτρας, ἐπιμεμψάμενος ἐς Καίσαρα μετῆλθεν.“*

25) Ant. Jud. XIV, 14.

26) Tib. I, 7.

27) Quae aetas iuvenibus munus illud petentibus lege praescripta fuerit, nescitur. cf. Graeber. l. c.

28) De iur. civ. Rom. I^2 p. 553.

29) Ne mihi obieceris apud Romanos persaepe adulescentulos iam matrimonio operam dedisse. Probe enim id scio ex Ov. Trist. IV, 10. Sed cf. Friedlaend., qui in libro de hist. mor. Rom. I, 448 scribit: „Im Senatorenstande mag fuer die jungen Maenner die Bekleidung des ersten Amtes, der Quaestur (die man in der Regel im fuenfundzwanzigsten Jahr erhielt), oft eine Vorbedingung der Eheschliessung gewesen sein.“

30) Nisi forte putandum est Caesarem amicitia impulsum esse, ut ei beneficium illud nominatim tribueret. cf. Vell. l. c. „nec aut Caesari quicquam ex victoriis suis fuit laetius quam servare Corvinum, aut maius exemplum hominis grati ac pii quam Corvinus in Caesarem fuit“.

locum, qui aliquo numero est, supra iam attulimus. Sed versus cum Gruppio suspicionem movissent, premere nolebamus[31]). Itaque aliis locis circumspectatis sententiam nostram firmabimus.

Ac primum quidem Messallam inter vivos non iam fuisse illo tempore, quo Ovidius epistulis ll. Pont. I—III[32]) componendis occupatus fuerit, statim apparebit. Epistula enim II, 2 poeta eundem Messalinum adlocutus habet vv. 97—98:

hoc pater ille tuus primo mihi cultus ab aevo,
si quid habet sensus umbra diserta, petit.

Hic igitur Ovidius Messallam apud inferos versari apertis verbis fatetur. Alter locus in eo carmine est, quod supra protulimus. Ibi poeta enim a Messalino petit, ne se deserat, cumque addat causam, cur ille se adiuvare debeat, facit v. 27:

nec tuus est genitor nos infitiatus amicos.

Si Messalla tum vitam degisset, qui poeta potuit scribere patrem se non esse infitiatum? Nonne dicere debebat patrem se non infitiari?

Ex quo Messallae, si elegias illas ante annum 13 a poeta esse missas demonstrari possit, horam fatalem non illo anno, sed antea accidisse sequitur. Quando igitur epistulas illas scriptas putabimus? De qua re Ovidius ipse nos facit certiores. Nam cum liber IV. absolutis demum libris I—III. conscribi coeptus sit, nonnullae autem huius libri (cf. epp. 1 et 3) elegiae exeuntem annum 13 prae se ferant, libri illi ante peractum annum 13 editi sunt.

Iam forsitan quispiam dixerit hanc causam magis contra me quam pro me facere; nam factum esse posse, ut elegiae illae Messalino datae sub finem a. 13 scriberentur, cum Messalla initio eiusdem anni mortuus esset; interea poetam litteris ex urbe missis de re ea cognovisse. Sed certum mecum stat argumentum. Poeta enim I, 2 Messalinum verbis tam submissis adloquitur atque, quod ad eum epistulam dare audeat, ita petit veniam, ut facile hanc illi antecedere tibi persuadeas. Adde quod in nostra nondum ab amico, ut se apud principem interponat, petere conatur. Iam epistulam II, 2 vere a. 13 compositam esse p. 15 ss. dissertationis meae ostendi[33]). Itaque elegia II, 7 cum hac prior sit, vix ante finem a. 12 confecta est: quare Messallam non esse mortuum a. 13, evincitur.

Sed longius progredi licet. Nam si Ovidius illum hominem, cui fere omnia, quae praestitit, debebat, mortuum esse cognovit, re vera eum hanc cladem duobus tantum locis tam obiter tetigisse iudicabimus? Estne omnino negandum illum, qui propter amissam coniugem casum Gallionis doleat[34]), qui Cottae, ubi apud iudices orationem habuit, multis verbis applaudat[35]), morte Messallae audita ne verbum quidem de animo suo affecto fecisse?

Denique Ovidius non tam rudis, agrestis, ferus, ingratus erat, ut de Celso exstincto ita lugeret, ut diceret ex Pont. I, 9, 5—6:

nec quicquam ad nostras pervenit acerbius aures,
ut sumus in Ponto, perveniatque precor,

---

31) p. 3.

32) Tres illos libros singulis epistulis antea Romam missis una esse editos primus vidit Meyerus l. c.

33) Quaest. Ovid. Gryphisw. 1883.

34) ex Pont. IV, 11.

35) ex Pont. III, 5, 7 ss.; numerum exemplorum facile augere poteris.

Messallam autem abreptum silentio praeteriret. Si re vera praeterire vellet, nonne sentire debebat Cottam amicum verba illa de Celso legentem offendi et laedi?

Sed aduersarius strenuus hanc epistulam ante I, 7 et II, 2 vel primam omnium elegiarum librorum I—III. mihi obvertet conceptam esse atque Ovidium illam conscripsisse a. 12 ante mortem Messallae auditam. Recte id quidem monetur. Sed haec quaeso pensites! Ovidius vv. 25 ss. Celsum facit auxilium Cottae pro se implorantem:

Maximus incumbet, quaque est pietate, rogabit,
ne sit ad extremum Caesaris ira tenax,
cumque suis fratris vires adhibebit et omnem,
quo levius doleas, experietur opem c. q. s.

Hoc loco si omnino cuiquam e numero consanguineorum Cottae supplicare voluit, patrem adire debuit; nam haud scio, an is solus auxilium ferre potuerit. Nonne mirum est eum patris nominis neque hoc in carmine neque in toto epp. Pont. ambitu mentionem fecisse ita, ut ipsum adloquatur?

Accedamus ad Tristia. Constat Ovidium Tristium elegias non singulas, sed libro demum confecto Romam misisse. Sed ut amici sentirent, quemnam ex numero suo peteret, signa quaedam implicuit, quibus agnoscerentur. Messalinum certe et Cottam IV, 4 et IV, 5 tanta perspicuitate monstrat, ut vix legentem possint fugere[36]). Atque cum in votis Cottae habeat, (5, 27 ss.), ut coniunx ei sit mitis, filius moribus similis, filia nubilis, frater amans, cur non adnectit se deos precari, ut pater diu incolumis servetur? Quid quod Messalinum laudat vv. 4, 5—6:

cuius in ingenio est patriae facundia linguae,
qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Nonne poeta imprimis verbo 'fuit' nobiscum consentit? Ne quis contra dixerit versibus illis innui Messallam anima quidem frui, sed aetate fractum (cf. Hier.) mentis aciem praestrinxisse; nam quam inhumanum hominem poeta illud commemorans se praebuit!

Qua re nihil aliud relinquitur, quam ut Messallam, antequam Ovidius in exsilium abierit, vitam edidisse asseveremus. Inde efficitur versus illos ex Pont. I, 7, 29—30 — nam aliam causam, qua spurii iudicandi essent, ne Gruppius quidem invenit — ab Ovidio ipso conditos esse neque egere emendatione.

Quando autem Ovidius urbem reliquit? De qua causa homines docti dissentiunt: alii, velut Merkelius, Leutschius cum profectum esse volunt a. 8, Massonus, Nipperdeius a. 9. Pro illis postremus stat Graeberus, quem ita rem expedivisse iam putabam, ut futurum esset, ut omnes adnuentes haberet. Exstitit autem pro his etiam post Graeberum Wartenbergius. Qui tamen, quamvis diligens in opere suo conficiendo fuerit, ita rem tractavit, ut facile possit refelli. Constat enim Ovidium sub initium hiemis ex urbe cessisse[37]); quando Tomos advenerit, in ambiguo est. Iam Wartenb. ipse profitetur p. 46—47 (cf. p. 51) carmen Trist. IV, 7 post IV, 6 confectum esse. In hoc autem poeta dicit vv. 19—20:

[36]) Epistulam IV, 4 Messalino, IV, 5 Cottae inscribendam esse Teuffelius (Hist. litt. Rom. 267, 6) recte intellexit. Lorentzius tamen in opere fere nullius pretii (De amic. in Ov. Trist. pers. Lips. 1881) utramque Cottae dari maluit. Totum discrimen Graeberus Teuffelium defendens ita explicuit, ut dubitatio remaneat nulla.

[37]) Trist. I, 11, 2 ss. De re cf. etiam Matthiam in Fleck. ann. t. 129 p. 201 ss., cuius summa et cum Graebero et mecum convenit.

ut patria careo, bis frugibus area trita est,
dissiluit nudo pressa bis uva pede.

Quid sibi volunt haec verba? Nimirum Ovidius fatetur, neque dissentit Wartenbergius, se duo autumnos, i. e. duo annos ab urbe abesse. Altero loco IV, 7 hos habemus versus 1—2:

Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae
bisque suum tacto Pisce peregit iter.

„Scripta igitur est epistula, cum iam tertiae exilii hiemis . . . . Idus Februariae adessent" sic recte Wartenbergius. Sed quid poeta his versibus exprimere voluit? Duos annos esse transactos! Ex quo urbem reliquit? Minime! ex quo Tomos nactus est. Quid inde sequitur? Concedit poeta se non hieme sed vere Tomos adventasse primamque hiemem Tomitanam sibi non ante sed post primum autumnum peractam. Qua re qui apud Ovidium quartus autumnus est, necesse est, ut quartae hiemi antecesserit. Mirum quantum Wartenbergius hoc negat. Iam epistulam ex Pont. I, 2 propter versus 25—26:

hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis
cumque meo fato quarta fatigat hiems,

Wartenbergius iure hiemi aa. 12/13 adsignat. Quo carmine igitur, si quidem, quae modo posuimus, stant, epistula ex Pont. I, 8 propter versus 27—28:

ut careo vobis, Stygias detrusus in oras,
quattuor autumnos Pleias orta facit,

prior est; est igitur scripta autumno a. 12. Cum igitur poeta, ex quo tempore Roma profectus erat, autumno a. 12 quattuor annos compleverit, cum autumno a. 8 ex urbe migravisse exploratum est.

Qua quaestione absoluta Messallae — nam ad hunc redimus — diem fatalem et ante autumnum a. 8 statuendum et propter Frontini l. c. quam proxime ad annum 13 p. Chr. movendum esse apparet[38]). Utrique autem rei a. 8 prae omnibus satisfacit: accidit enim, ut vere vel aestate obiret Messalla, autumno in exsilium ageretur Ovidius.

Iam vero Hieronymus Messallam anno aetatis septuagesimo altero defunctum tradit. Cuius numeri ratione habita eum a. 65 natum fortasse dixeris. Constat igitur, quod voluit Schaeferus! Itane verum? Minime, nam si verba recte interpretati erimus, facere non possumus, quin eum septuaginta annos et unum complevisse dicamus. Qua re ad annum 64 a. Chr. devenimus. Sed ipse concedo Hieronymum id spectasse, ut diceret eum septuaginta duo annos confecisse, quamquam apud Suetonium unum et septuaginta annos invenerat. Quo modo id factum esse existimabimus? Nimirum Hieronymus non computavit annos, sed consules. Itaque ut septuaginta annos et unum, sic septuagies bis binos consules confecit. Eadem igitur via, si quidem vera consequi volumus, nobis ineunda est. Quod si feceris, ab a. 8 p. Chr. orsus

[38]) Recte enim teste Nipperdeio iam Burghesius animadvertit ex Front. Messallam, quod ei a. 13 demum successor destinatus sit, ad hunc annum spirasse non consequens esse. Nam cum ei munus illud capessenti adiutores duo dati sint (Front. c. 99), hos post eius excessum per aliquod tempus aquas curasse nos posse sumere. Necessarium autem est intercapedinem illam quam brevissimam statui.

si consules binos singulis annis tribueris, numero septuagies bis binorum consulum completo annum a. Chr. 64 habebis.

Quae nostra argumentatio, etsi sibi constat, quantopere claudicet, ipse non ignoro neque, nisi causa altera sententia mea firmaretur, aliquem in partes meas trahere conarer. Sed ipse Hieronymus mihi evadit adiutor! Nam qui illum Messallae annum natalem a. 59 statuisse expediemus, cum Suetonius annum 64 monstraverit? Nimirum Suetonius scripserat Messallam natum esse, non Caesare et Bibulo css. (a. 59), quod Hieronymus invenisse sibi visus est, sed Caesare et Figulo css. (a. 64), (sc. L. Iulio Caesare et C. Marcio Figulo).

Quae cum ita sint, duos auctores nostros, Ovidium et Hieronymum, consentire neque tertium Frontinum discrepare intellegimus. Solus restat Tacitus. Atque locum illum esse depravatum iam Scaliger monuit. Mendum autem illud auctori ipsi esse impertiendum contradixit severissime Nipperdeius. Et recte quidem. Nam Tacitus it demonstratum Pollionem et Messallam ab eis aequalibus, qui fuissent sub Augusto, iam potuisse audiri; quo intellegitur eum, si quidem legentibus persuadere voluit, viros illos tum demum inducere potuisse, si ad extremos fere Augusti annos vixissent. Qui autem sententiam suam alicui probare potuit, si alterum duodetriginta annos ante Augusti excessum absumptum dixit? Qua re mendum postea est inlatum. Quod Burghesius praecedente Scaligero ita sanare studuit, ut nomina transponeret. Sed hac re difficultatem minuit, non sustulit. Nam cum Pollio a. 5. p. Chr. diem supremum obierit, qui Tacitus dicere potuit eum esse elatum sub annum 14 a. Chr.? Fere tantopere errasset, quantopere de Messalla. Itaque Nipperdeius scribendum esse statuit: „nam Corvinus in extremum usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit". Putat enim errorem ortum esse a librario, qui non intellexerit, quo modo verba 'in extremum' verbis 'paene ad extremum' opponerentur. Sed haud scio, an Nipperdeius his verbis locum magis corruperit quam emendaverit. Recte enim Wartenbergius[39]) opponit, si mortes illorum virorum spatio tam exiguo distarent, Tacitum „et verius et ad propositum aptius" dixisse utrumque paene ad extremum vixisse. Deinde Taciti disputatio ita procedit, ut nomen illius, qui alterum vita superaverat, secundo loco ponendum fuerit. Itaque si verbis Nipperdeii utriusque vitae finem distincte addere volebat, dicere debuit Pollionem paene ad extremum, Corvinum usque in extremum Augusti principatum durasse. Quam ob rem in loco nostro mendum latere iudico multo gravius quam Nipperdeius sibi persuasit, et quod auctoritate codicum nostrorum persanari vix possit.

---

[39]) Idem vir doctus praecedente Massono alium locum invenisse sibi visus est, qui ad tempus obitus Messallae destinandum aliquid faciat. Vell. enim II, 112 de rebus a Messalino in bello Illyrico (a. 5 p. Chr.) gestis haec tradit: „Felix eventu, forte conatu, prima aestate belli Messalini opus mandandum est memoriae: qui vir, animo etiam quam gente nobilior, dignissimus, qui et patrem Corvinum habuisset et cognomen suum Cottae fratri relinqueret". Quibus verbis Velleium innuere Messallam iam decessisse, cum Messalinus ea ageret, Massono exploratum est, scilicet propter verbum 'habuisset'. Sed enuntiatum 'patrem habuisset' Velleius sine dubio hic posuit pro 'genitorem habuisset'. Intellegendus igitur locus est, ac si scriptor dixisset: „filius erat dignissimus, quem Messalla genuisset". Itaque temporis alicuius momenti nulla ratio hic habetur.